

A E T E R N I T A T I
N O M E N A C M E R I T A
V I R I

N O B I L I S S I M I A M P L I S S I M I
P R V D E N T I S S I M I

G E O R G I I E N C O V E L

I L L V S T R I S R E I P V B L . H A M B V R G E N S I S

S E N A T O R I S

O R D I N E T A N D E M A T Q V E A E T A T E P R I M I

N E C N O N

P R O T O S C H O L A R C H A E

G R A V I S S I M I M E R I T I S S I M I Q V E

D I E X X I I I I V N . A . C . M D C C L V I I I A E T A T I S L X X X

P I E A C P L A C I D E D E F V N C T I

C O N S E C R A T

S I M V L Q V E A D E X S E Q V I A S E I V S D . X X X I V N .

P R O D I G N I T A T E A C D E C E N T I A I N T E R D I V D V C E N D A S

E T

C O M I T A T V Q V A M F R E Q V E N T I S S I M O C O H O N E S T A N D A S

C I V I V M V N I V E R S I T A T E M

O F F I C I O S E A C P E R A M A N T E R

I N V I T A T

D O L O R I S P V B L I C I A C C O M M V N I S I N T E R P R E S

M I C H A E L R I C H E Y

H I S T . A C G R . L I N G . P R O F E S S O R O R D I N I S S V I S E N I O R

E T H . A . G Y M N A S I I R E C T O R .

H A M B V R G I

E X O F F I C I N A I . C . P I S C A T O R I S , A M P L I S S I M I S E N A T V S E T G Y M N A S I I T Y P O G R A P H I .



Funus est, o CIVES, quod tristis haec scriptio indicit, venerabile omnino, et lacrymis acerbis, omnique pietatis et officii genere prosequendum. Funus est Viri, non aetate magis et honoribus, quam meritis multis et egregiis conspicui. Funus est, heheu! **GEORGII IENCQVELII**, Senatoris spectabilissimi; quem rara longaeuitas inter **COLLEGAS** ad primatum euexit, quique sibi quidem, pro mensura humana, fatis vixit, amantibus autem, et commoda publica pensitantibus, nunquam non desideratissimus decessit. Nimirum visum erat **DEO** immortalis, feruum fidelem diuturnis operarum catenis tandem exsoluere, sanctaeque canitiei radios circumfundere aeternos; nobis vero interea lugubre officium relinquere, faciendum Seni, in quo **Respublica** decus, **Ciuitas** patrem, **Commercium** amplificatorem, **Musae** denique nostrae altorem et patronum benecupientissimum, amiserunt.

Ad hanc iacturam quid plebs, tam commodi quam incommodi publici ignara, iudicii per crassitudinem expers, nouitatis duntaxat et vicissitudinis curiosa? Friget ad lugendum decrepitum; de successuro statim diuinat; spectatum accurrit ad pompae diurnae insolentiam, et materiam

captat rebus vel in triuio narrandis, vel in concilio cauponio disceptandis. Idemne vero stupor etiam Vos decebit, o nobiliores animi, qui patriam amatis, id, quod interest, intelligitis, salutisque communis sustentacula digne ac sapienter aestimatis? Imo vero longe aliud indicant oculi vestri madentes, gemitus aegre compressi, et cogitationes in eo defixae, vt amissi tam cari Capitis memoria non intercidat, sed decenti elogio ad posteros proferatur. Atque in hoc officii genere, quam cuperem, animis vestris tam nobili sensu affectis, interpretem obtigisse me longe discretiorem! quippe vt BEATO SENI ipse me aetate parem, ita laudibus Eius perscribendis valde imparem agnosco; exhaustas scilicet senio morbisque vires affatim persentiscens, nec ad faciendum, quod muneris ratio iubet, quidquam propemodum afferens, praeter voluntatem. Conabor interim, pietatis ac reuerentiae stimulis excitatus, ac veniae certus, quam boni et aequi omnes calamo iam hebeti et languido non denegabunt.

Gens IENCQVELIORVM, originis, quoad liquet, Germanicae, iam a longo tempore Hamburgi sedem fortunarum suarum fixam habuit; fuitque in honoratioribus: quandoquidem reipublicae dedit ciues, haud exiguo numero, plerosque mercatoribus primariis accensos, qui rem communem pariter ac suam locupletare laudabili studio contenderunt. Ne vero inter eruditos etiam IENCQVELIANVM nomen inauditum esset, effecit CASPAR FRIDERICVS IENCQVELIVS, vel, vt transpositis literis, latendi causa, appellari voluit, NEICKELIVS, et nostratibus mercator doctus, qui ante hos triginta annos, patrio sermone *Museographiam* conscripsit. Quo in libro quum omnia, quae de rariorum rerum conditoriis, nec non de Bibliothecis collecta habuerat, suo modo com-

posuis-



posuisset, censendum ac edendum permisit *Ioanni Kanoldo*, Medico apud Vratislavienses celeberrimo; qui recognitum, et praefatione additamentisque instructum, Vratislaviae publicavit. Nemo autem IENCQVELIORVM plus ornamenti et gloriae in genus suum intulit, quam GEORGIVS noster, nunc beate defunctus: quippe ad eminentem in republica locum eduetus, Magistratuumque ac negotiorum luculenta gestione laudem quam amplissimam consecutus. De cuius vita et rebus, si pro dignitate non possum, pro virium saltem ac temporis angustia commentabor.

Natus est Hamburgi, anno MDCLXXVIII. die XXIX. Decembris, patre IOANNE IENCQVEL, Ciue ac Negotiatore non ignobili, matre MARIA, *Christophori NOOTNAGELII*, Quindecimviri spectatissimi, filia. Pueritiam egressus, tum sua animi propensione, tum patris hortatu et exemplo, totum se ad mercaturam applicuit, tantamque eius scientiam, non quidem per itinera, sed per domesticam assiduitatem, sibi comparavit, ut dexteritate et solertia supra vulgus ementium ac vendentium mature adscendere videretur. Patre anno MDCCXIX. defuncto, materni negotii socius et particeps factus est: cumque mater etiam anno MDCCVII. rebus humanis erepta esset, solus mercatui florentissimo ita praefuit, ut egregia eius peritia et facultas confestim publice nosceretur; multoque magis, quum deinceps aliorum negotiis causisque maritimis, ex officio, siue arbiter, siue iudex adhiberetur. Non vacat ad singularia descendere, quaestusque eximii sedem apud Lusitanos stabilitam, ac Regum priuilegiis munitam, aliaque IENCQVELIANAE industriae documenta, multis verborum phaleris exornare.

Inter haec felicia rerum suarum incrementa, tametsi domi haberet quod ageret, abhorruit tamen ab eorum inconsulto consilio, qui sese tantum sibi, neutiquam vero etiam patriae natos arbitrati, quantacunque facultate et vacuitate abundant, omnia ciuilia officia fastidiunt, et quidquid reipublicae causa gerendum obuenit, qua possunt vel arte vel impensa a se amoliuntur. Danda sane venia hominibus, quos vel corporis animique imbecillitas, vel conditionis tenuitas, a procuratione nonnunquam difficili et sumtuosa cohibet; sed quo pacto iis indulgeri debeat, non video, quos siue avarum rei propriae studium, siue voluptaria quaedam mollities eo adducit, vt, velut fastidii sui privilegio in opulentia superbe collocato, propemodum sua conditione indignum putent, aliquid molestiae pro patria sustinere. Non ita in rempublicam animatus erat IENC-
QVELIVS, qui sponte sua integrum fere ciuilium officiorum stadium alacriter emensus est, et quidquid publicae functionis ad ciuem deferri poterat, nec illibenter suscepit, nec sine laude administravit. Antequam enim in **SENA-
 TVM** legeretur, militiae praesidiariae necessitates curavit, munitionibus et rei tormentariae praefuit, orphanotrophio prouidit, commercantium collegio admotus est, aerario mercatorio adfuit, ac denique in tribunali maritimo locum habuit. Quibus rebus factum, vt solertia et dexteritas **VIRI** magis magisque inclaresceret, nomenque Eius mature veniret in censum eorum, ad quos respicitur, vbi de ciue inter Patres Conscriptos adsciscendo consilia agitantur.

In **ILLVSTREM** itaque **SENATORVM ORDI-
 NEM** cooptatus est anno **MDCCLXXIX.** d. **XXVIII.** Maii. Cui quum per totos nouem et viginti annos interfuerit, cogitari facile potest, quanta fungendorum moles, per tem-
 porum



porum et officiorum consequentiam in Eum fuerit deuoluta. Norunt omnes, qui nostrae reipublicae rationes ciuilitate subducere possunt, Magistratum, Praefectura- rum, Praefidiorum, Procurationum, aliorumque extra concilium ordinarium gerendorum genera esse ad quadra- ginta, alia quidem temporaria, alia perpetua, quibus Senator Hamburgensis, non sine impendio rei familiaris, omne suum tempus, omnes curas et cogitationes, nec raro valetudinem et vitam, velut pro republica victimam, transmittere debet. Afferrem singula, si scriberem impe- ritis, quibus necesse foret ostendi, Senatorium munus non inanis tituli rem esse, nec venerandos istos humeros solo duntaxat ornatu grauari, sed premi plane oneribus, incredibili vice et copia cumulatis. Horum tamen omnium nihil praetermisit IENCQVELIVS, nec otio aut com- modis suis indulgit, sed in quauis prouincia pulchre versatus est, aciemque auctoritatis nunquam passus he- bescere.

PRAETVRAM VRBANAM, difficilem illam, praesertim mercatori, spartam, nec raro commotionibus animi obnoxiam, annis MDCCXXXVIII. et MDCCXXXIX. strenue ac praeclare gesit, iustitiae amans, sanctique muneris leges nunquam non animo reuoluens. **CENSORIS** officium ab anno MDCCXLV. per sexennium indefessus susti- nuit. **PRAETVRAM RVSTICAM**, per agros subur- bicarios gradatim omnes, idonea iurisdictione ac procura- tione exercuit. **SCHOLARCHA** factus est anno MDCCCL. Itatimque anno consequente in **AMPLISSIMO** hoc **COLLEGIO** primas obtinuit, ab ornandis literis adeo non alienus, vt anno MDCCXLIV. quum **AEDILIS** esset, **PATRES**que Musis nostris gymnasticis de luculentiore domicilio, praecipue vero Bibliothecae de ampliore spatio

prospiciendum cēserent, laudabile hoc institutum, quanto potuit consilio et studio, cum COLLEGA, nunc CONSULE ILLVSTRI, mirifice promoueret.

Præterea nullum fere est Collegium, Iudicium, Concilium delectum, in quod NOSTER non fuerit adscitus; nullum tributi aut vectigalis genus, cui recipiendo Ipse non asfederit. Non mercatorum porticus, aeraria, commercia, proxenetæ, causæ maritimæ, naues præfidiaræ, prouidentiam Eius desiderarunt. Quis Eo diligentior in curandis re frumentaria, molenidinis, syluis, fluminibus, aula materiaria, fornacibus calcariis, vigiliis nocturnis? Quis denique maiori sollicitudine orphanorum necessitatibus, nosocomiis, ergastulis, domui Lombardicæ, pluribusque piis institutis prospexit? Ne de ciuitate armata dicam, deque variis Opificum collegiis, quæ ad tuendas leges suas, litesque cognoscendas, ex Senatorio Ordine Patronum sibi ac Praesidem, sæpe non leuiter fatigandum, deposcunt. Quid mirum adeo, per tot labores auctam quidem VIRI existimationem, sed fractas etiam tandem vires fuisse, præsertim quum ingrauesceret ætas, vt proinde sensus impotentia senilis indies præsentior, haud diu ante obitum, cogeret vel inuitum, functionibus quibusdam, licet paucis, sese abdicare.

De rebus VIRI priuatis ac domesticis ea mihi dicenda supersunt, quæ non secus ac reliqua singularem plane DEI erga hanc Domum munificentiam omnium admirationi exponunt. Matrimonium iniit anno MDCCVIII. d. xx. Febr. cum virgine, sexus sui ornamento, ANNA MARIA, *Nicolai THOMSEN*, Ciuis primarij, filia; quæ amplexui Mariti amantissimi anno MDCCXXX. d. xx. Aug. per mortem erepta, susceptos ex se reliquit liberos XI, filios



filios nimirum VII. et filias IV. ex quibus filii tres, et filia vna praemature obierunt. Viuunt autem, Patri superstites, filiorum *primus* HENRICVS, qui in paterna vestigia feliciter ingressus, non tantum mercatura florente, sed multa etiam ciuiliū officiorum functione, inter honestissimos censetur, vxoremque habet ELISABETHAM, *Henrici* IENCQVELII, mercatoris quondam nobilissimi, filiam. *Alter* GEORGIUS, negotiator insignis, sed adhuc coelebs. *Tertius* IACOBVS, qui pariter ad exemplum Patris dudum compositus, et priuatis non magis quam publicis negotiis egregie functus, gratiam sibi famamque comparauit; coniugio etiam felix cum BARBARA *Henrici* IENCQVELII modo laudati, sed ex alio matrimonio, filia. *Quartus* DANIEL, I. V. L. et causarum patronus celeberrimus, quem Pater bis coniugatum vidit, primo quidem cum ANNA CATHARINA, Cuius optimi *Rudolphi* KENTZLERI filia, tum vero cum ANNA MARGARETA, patre Illustri *Ioanne Hermanno* LVIS, quondam Reipubl. Consule, genita. Ex filiabus natu maior MARIA nupsit *Ioanni Antonio* SCHMIDT, altera ELISABETHA *Casparo* VOGT, tertia MARGARETA *Petro Gottlieb* WALTHER: quam trigam Generorum spectatissimorum non tantum Domus IENCQVELIANA, sed vniuersa mercatorum aula in suis numerat ornamentis. Dicitur autem vix potest quanto gaudio numerus XX. nepotum et neptium, ex XXIV. superstitum, viduitatem compensauerit A VI optimi, et omni ex parte beati.

Denique ad extrema IENCQVELII quod attinet, valuit Ille quidem per omnem vitam satis prospere, semel tantum circa mediam aetatem morbo correptus, sed vehementissimo: a quo licet per medicinam, quam vocant,

sympatheticam; mirifice fuerit restitutus, et quasi a cymba Charontis retractus, aliquid tamen incommodi in faucibus residuum habuit, quod vocem reddebat exilem et subraucam. Ceterum corpore erat agili et vegeto, sine quo animus tot negotiis apte et alacriter gerendis in senectutem vix fuisset suffecturus. Ab aliquo autem tempore tentari morbis, et debilior esse coepit, pectore ab humoribus pituitosis grauato, et viribus sensim collabascere visis. Nec opem tulit secessus in suburbanum, ex quo debilior reductus quum iudies mali sui incrementa sentiret, sanctissimo viatico munitus, itineri in coelestem patriam sese accinxit, magnaue animi intentione et constantia nutum DEI euocantis praestolatus est. Donec nupero die XXIII Junii, hora quinta matutina, inter preces suorum, pie placideque, obdormiscenti similis, expiraret; quum vixisset annos LXXIX, menses VI. diem vnum.

Haec summa est vitae OPTIMI SENATORIS, tot meritis in patriam, tot rebus in luce publica gestis clarissimi: cuius quidem cineres terra obruet, memoria vero apud bonos omnes nunquam exolescet. Molliter quiescant ossa VIRI, etiam post fata venerandi! GENTI autem SPLENDIDISSIMAE, tanti vulneris fomentum, omni humano solatio efficientius, de coelo obtingat. Imo faxit DEVS, vt rebus, opima hereditate ad Eam delatis, paterna non tantum celebritas, verum etiam longaeuitas, velut hereditaria, interfit.

Vos vero, CIVES, adeste nunc officio flebili, et piis lacrymis iusta persoluite PATRI PISSIMO. Adeste exsequiis frequentia quam maxima, et, cum plura non possitis, extremum hunc honorem defuncto habete, nobile scilicet testimonium amoris publici, cui vel centum faces nocturnae non possunt equiparari. In primis vero ardentes mecum preces ad DEVM fundite, vt PATRES REIP. OPTIMOS MAXIMOS quam diutissime superstites ac felices esse iubeat, et, siquidem optare licet, nemini Eorum vitae terminum figat mensura IENEQVELIANA breuiorem.



40.

11050

Gyudrus Johannes Leichter
1760

Verfasser: Hermann Samuel Reimann

Geboren 11. September 1682

Eltern: Mathias Leichter


Agneta Hollmann

Chapfen: 1) Frau Elisabeth Leichter

2) Margarethe von Hoffmann

Agneta Leichter
3) Maria Reimann

11. Okt. 1769



Min. Kommu

da deutsche

Übersch

bewendet

13 189.02

NO 50

Fehlertw-



Desideravit hoc anno Respublica Virum, ætate meri-
 tantisque erga cives spectatissimum, candore &
 humanitate summis, mediis, infimis juxta carum,
 & industria ac fide officiorum in primis proba-
 tum, Magnificum & Illustrem JOHANNEM SLU-
 TERUM, Juris utriusque Doctorem. Consultissimum, ab
 exeunte anno MDC.CXIX civitatis Hamburgensis Syndicum,
 & erepto nobis ante annos XII Excellentissimo SURLAN-
 DO, Proto-Syndicum Gravissimum. Quem ut vivum
 Amplissimus Senatus semper in honore habuit, testis opti-
 mus navatæ ab illo totis viribus communi rei operæ, ita
 memoriam virtutum ejus ingrato silentio obscurari noluit,
 sed pro dignitate posteris censuit publice commendandam.
 Meruerat hanc erga se pietatem Civitatis Vir, si quis
 unquam, integerrimus, qui quadraginta amplius annos
 continuos, æqua semper cum laude exegerat in munere,
 cum per se negotioso, tum difficultate non minus quam
 varietate rerum expediendarum implicato, quique totam
 inserviendõ patriæ consumserat ætatem, atque sic partes
 ubique suas dextre obeundo consenuerat, ut jam neminem
 in Amplissimo Ordine videret ante se creatum. Erat vero
 seu a natura, seu paterno exemplo, instructus maxime ad
 internas civitatis causas, ex jure, legibus, æquitate, tractan-
 das & componendas. Quod genus officiorum, quippe
 vel privatis & collegiis ac sodalitatibus præstitum, vel certe
 tabularii & curiæ scriniis conclusum, etsi non se ostentat in
 magno orbis terrarum theatro, splendoremque suum
 minus late diffundit, attamen justitiam, pacem & concor-
 diam inter partes & ordines civitatis tuendo, sic agris rei-
 publicæ membris succurrit, sic dissoluta conjungit, sic laban-
 tia

tia confirmat, ut in primis salutarem & solidam operam universo corpori attulisse videatur, præsertim si scientia jurium communium & patriæ, si incorrupta fides, si amor æquabilis civium adsit, qualia decora in Slutero nostro summa fuerunt.

Equidem calamum meum, ex mandato Amplissimi Senatus, publicæ pietati accommodaturus, hoc doleo maxime, ejusmodi esse exantlatos a Viro Beato labores, & merita in singulos ipsamque Rempublicam, ut documenta eorum facilius inter acta & auctoritates recondi & asservari, quam ipsa enarrando percenseri & pondere suo æstimari possint. Neque adhuc inveniri potuerunt consignata ab ipso vitæ, factorum & actionum momenta, seu illa latent alicubi, insciente familia, seu tacens ipse de se judicium permittere aliis maluit, famamve popularem nominis sui post mortem non magnopere curavit. Interim proferam in medium quæ poterò & suppeditata habeo in manibus, non dubitans, vel hæc paucula non ingrata fore civibus, & plurimum majorumque conscientiam, pro tanto temporum deursu & vicissitudine rerum, apud ipsos excitatura.

Late sparsa est, & imaginibus Clarissimorum Virorum celeberrima, gens SLUTERORUM; neque nobis hac in urbe nova, qui Proavum Proto-Syndici nostri SEVERINUM, Pastorem Jacobæum, Avum JOHANNEM, Consulè Reipublicæ nostræ, Patrem MATTHÆUM, Senatorem, Patrum etiam DAVIDEM, Juris utriusque Doctorem, in Memoriis Hamburgensibus, & hac occasione alios Sluteros bene multos, a Fabricio & Johanne Christopho Krusike laudatos reperimus. Qui liber quoniam oculis omnium frequenter usurpatur, nolim altius Syndici nostri Majores repetere. Ordiam proxime a Parentibus. Nempe Pater illi, ut dictum, MATTHÆUS fuit, natus Hamburgi D. xv. Aug. A. MDCXLVIII. qui cum nomine Doctoris utriusque juris, rem quoque sustinuit egregie, inter magnos causarum patronos referendus, & scriptis plurimis de jure communi, & patrio maxime, celeberrimus, Senator

deinde
* De Severino Slutero vide Mem. Hamb. Vol. II. p. 884. de Johanne, Vol. I. p. 391. ff. de Matthæo, Vol. V. p. 427-462. de Davide ib. p. 463-479. Adde de Johanne Illustrem Klefekerum nostrum, in Bibliotheca Eruditorum Præcocium quondam præcox quoque suum ingenium demonstrantem. Taceo Beuthnerum, Möllerum, alios, de claris Slutericis commentantes.

** De Scriptis Matthæi judicialibus confer. annotationes Krusikenii ad carmen suum funebre in Davidem Sluterum, Mem. Hamb. Vol. V. p. 453. sq. ubi & astrorum cognitionem ab eo scriptis illustratam videbis p. 459. sq.

deinde creatus; loco summi Viri *Gerhardi Schræderi*, tum ad Consulatum evecti, legationibus etiam ad Potentissimos Borussiae & Daniæ reges functus A. MDC. CXII. & MDC. CXIV. tandem A. MDC. CXIX. D. XIX. Novembris, ætatis LXXI. extinctus; Mater *AGNETA MOLLMANNIA*, nata D. XXI. Julii A. MDC. XLIX. nupta primum *Georgio Lessio*, J. U. L. deinde *Bartholdo Philippo Meusero*, J. U. D. & Canonico; denique anno MDC. LXXXI. *Matthæo Slutero*, vivis A. MDC. CIII. D. XXII. Septembris erepta.

His parentibus fatus *JOHANNES* noster lucem adspexit D. XI. Sept. A. MDC. LXXXII. eorumque cura ad pietatem, virtutem & humanitatis studia prima ætate sollicitè formatus, Gymnasio nostro adscriptus est A. MDC. XCIX. Rectore Balthasare Menzerone. Dedit se potissimum in B. Fabricii disciplinam, recentis tunc, sed eruditione varia eminentis Gymnasii Professoris, & dicendi inter cetera facultatem exercuisse; colligitur ex oratione, quam illo moderante in splendidissima Procerum & eruditorum virorum Panegyri publice habuit D. XI. Martii A. MDC. C. *de laudibus Excellentissimorum Reip. Hamburgensis ad Potentissimum Sueciæ Regem delegatorum*, (scil. Julii Surlandi, J. U. L. & Johannis a Som, J. U. D.) *Senatorum*. Videmus ergo juvenem Sluterum ad præstantissimum quemque Præceptorem & ad studia suæ ætati apta se applicantem sedulo, non sine publico industriæ suæ specimine. Pari prudentia, ad percipiendam Juris varii disciplinam, Johannem Nicolaum Hertium præ ceteris sectatus est, Antecessorem illum Gießensis Academiæ celebratissimum, quem certatim audiebant legum studiosi, consulebant ambigentes, Reges & Principes honorabant sibi que vindicare nitentur. Hoc præceptore igitur ad interpretationem juris naturalis civilisque omnis, ad agendum, cavendum respondendumque formatus, periculum primo fecit, Dissertationem a se elaboratam, *de fratris germani querela inofficiosi adversus quoscunque*, publice sub præsidio Hertii Gießæ defendens A. MDC. CV. Ita vero ad summos in utroque jure honores capefendos paratior accessit sequenti anno, *præsidente solo Deo*, ibidem disputans *de Responsis mercatorum vulgo Parere dictis*; quo meruit, ut in Jubilæa celebritate prima Academiæ Gießensis Doctor utriusque juris renunciaretur die XIX. Octobris anni MDC. CVII.

Non neglexit postea, exemplo Patris, peregrinationis

utilitates; rediitque non tantum sine corruptela externae levitatis; quam sane nostris temporibus, cumulate transportatam ad Germanos, domi jam discere liceret sine tot impensis; sed rediit etiam eruditus & politus magis; incolumi antiqua fide; religione, castitate, modestia. Hic illi primam exercitationem ingenii & scientiae praebuerunt forenses causae; & reperimus eum iudicio quoque inferiori annis MDCCLXIV. & MDCCLXV. interfuisse atque praefuisse. Quemadmodum vero Amplissimo Ordini non deesse solent occasiones facultatem & prudentiam inferioris iudicis inspiciendi atque examinandi: ita disceptationes causarum Praesidi Slutero approbationem Senatus conciliasse, apparuit non multo post, cum A. MDCCLXIX. D. XI. Octobris ad eximiam Syndici Reipublicae dignitatem munusque, superioris hujus Concilii suffragiis, adnotus est. Qua in provincia, quod facile communi omnium testimonio constat, nihil illi sanctius fuit aut antiquius, quam civitatis salutem & jura; ordinum amicam consensionem, civium emolumenta & rationes, summa industria, cura & contentione animi, omni etiam prudentia, moderatione & integritate tueri. Nam & ore & scripto, cum in Senatu conventuque Civium, tum apud Collegia rerum administrandarum, negotia sibi commissa sic peregit, ut amor patriae civiumque, ut humanitas, mansuetudo aequitasque singularis, regere omnia ejus consilia actionesque videretur. Tabularium inter auctoritates publicas servat exempla epistolarum & libellorum, publico nomine, germanica, gallica, latina, linguis, ut quaeque suis locis usitata est; ab ipso datorum ad Caesares Augustos, Reges, Electores, Principes, Respublicas, summaque Imperii Germanici iudicia, quibus vel officia Civitatis declarantur, vel desideria exponuntur, jura demonstrantur, facta defenduntur. Interdum illi cum Legatis Principum ad Saxoniae inferioris Dicecesin, de causis publicis, aut cum Vicinis, de finibus constituendis, conferenda fuerunt colloquia: modo statis temporibus lustranda cum Lubecensibus Praefectura Bergedorffensis, & quae gesta erant accurate Actis consignanda. In quibus omnibus suas ubique partes magno studio, assiduitate & vigilantia executus est; alienae gloriae nec appetens nec obrectator, atque haecenus felicius, quod sua contentus laude, quae est ab expletis religiose officii longe verissima, splendorem nominis ab demisso ambitu aularum & ancipiti concertatione, cum potentioribus quaerere non haberet opus.

Privata

Privata Viri Beati vita fuit sincera imago hominis pietate adversus Deum & veneratione religionis Christianae penitus perfusi, officiosi, aequi & popularis erga quoscunque, benefici & liberalis erga bene meritos, simplicis & jucundi in congressibus, facilis & fidi erga amicos, mitis & mansueti erga uxores, liberos & familiam. Quo minus mirum est, quod in illa conscientia recte factorum, inter studia & venerationem civium, inter amores & obsequia suorum, tranquille & jucunde vitam usque ad octavum & septuagesimum annum produxerit. Pertinent vero in primis ad vitae ejus felicitatem conjugia cum tribus Nobilissimis Uxoribus, & Libero- rum procreatorum virtutes fortunaeque.

Primum quidem matrimonium contraxit anno MDCCXI. D. XII. Febr. cum Virgine Ornatissima, ANNA ELISABETHA, *Gerhardi LUTCKENS*, J. U. L. filia, quae tamen, filiolum *Annam Elisabetham* D. XXVIII. Maji A. MDCCXII. enixa, ex partu statim eadem die exspiravit; & ipsa filiola vix mensis spatium attigit, D. XX. Junii mortua.

Secundis igitur nuptiis sibi junxit MARGARETAM ELISABETHAM SCHAFFSHAUSIAM, Celebrissimi quondam Consulis *Joannis Dieterici Schaffshausen* filiam natu minimam, suavitate & hilaritate sua omnes Mariti molestias facile temperantem. Atque ex ea una liberos V, Nepotes Neptesque X, Proneptes II. vidit.

LIBERI fuerunt:

I. CATHARINA AGNETA A. MDCCXVI. D. IX. Jan. in lucem edita, & D. V. Nov. A. MDCCXXI. nupta Spectato Mercatori *Petro Koep*, Benedicti filio; cujus post mortem, quae D. XI. Nov. A. MDCCXXI. consecuta est, secundo matrimonio ab A. MDCCXLIV. D. IV. Julii consociata vivit cum Honestissimo Viro Mercatore *Joachimo Matthia Hassé*.

II. MATTHÆUS, natus A. MDCCXVII. D. XXII. Dec. denatus A. MDCCXXXVI. D. X. Jul.

III. AGATHA, nata A. MDCCXVIII. D. VII. Dec. denata Anno MDCCXIX. D. XII. Jun.

IV. JOHANNES DIETERICUS, natus Anno MDCCXXIII. D. XXV. Apr. qui Johanneo Gymnasioque haud obiter salutatis, Academicorum studiorum Jurisprudentiae tributorum specimen, pro gradu Doctoris U. J. obtinendo, dedit A. MDCCCL. D. XXVIII. Febr. habita Trajecti ad Rhenum Dissertatione *De traditione mercium per litteras recognitionis,*

&

& vivo Parente Secretarius civitatis creatus, A. MDCCCLII. D. vii. Sept. inuit matrimonium A. MDCCCLII. D. ix. Maji cum *Theodora Maria*, Georgii *Hauwelmeyeri*, J. U. D. Virgine filia, vivis nuper erepta D. v. Martii, hujus anni MDCCCLX.

V. RUTGERUS NICOLAUS, natus A. MDCCXXVIII. D. xxvii. Maji, qui frequentatis iisdem bonarum artium officinis, post Academicum Juris cursum, Göttingæ A. MDCCCLIII. D. xxix. Aprilis pro summis in utroque Jure honoribus disputavit *De variis Matrimonii perfectionibus & earum effectibus*.

NEPOTES NEPTESQUE

B. Sluteri ex filia *Catharina Agneta* & genero *Kæpio*

1) *Joh. Petrus*, natus A. MDCCXXXII. denatus A. MDCCXLI.

2) *Margareta Elisabetha*, nata A. MDCCXXXIII. D. xxv. Nov. & A. MDCCLVII. D. xxx. Nov. juncta Viro. Plurimum Reverendo *Matthia Lüttmanno*, Pastori Dignissimo ad S. Spiritus adem;

3) *Catharina Elisabetha*, nata A. MDCCXXXIV. D. xiv. Octob.

4) *Benedictus*, natus Anno MDCCXXXV. D. xiv. Octob. mortuus A. MDCCXXXIX. mense Decembri;

5) *Catharina Agatha*, nata A. MDCCXXXVII. D. ii. Febr. collocata in matrimonium A. MDCCCLIX. D. iii. Sept. Pl. Reverendo *Constantino Detlef Hasse*, Pastori Hafeldörffensi;

6) *Anna Cecilia*, nata A. MDCCXXXVIII. D. xxiv. Jun.

NEPTIS NEPOSQUE
ex eadem filia *Catharina Agneta*, & genero *Joh. Matth. Hasse*.

7) *Maria Catharina Agneta*, nata A. MDCCXLV. D. xxi. Nov.

8) *Johannes*, natus A. MDCCXLVI. D. xiv. Nov.

NEPTES

ex Filio *Johanne Dieterico* & *Theod. Maria Hauwelmeyeri*;

9) *Dorothea Maria*, nata A. MDCCCLIV. D. xvi. Jun.

10) *Agneta Dorothea*, nata A. MDCCCLVII. D. xxix. Mart. mortua eisdem anni D. xxi. Jul.

PRONEPOS & PRONEPTIS

ex *Catharinæ Agnetæ* & *Kæpii* secunda natu filia *Margareta Elisabetha* & *Matthia Lüttmanno*.

1) *Johannes Christophorus*, nat. A. MDCCLVIII. D. xxv. Sept.

2) *Agneta Elisabetha*, nata A. MDCCCLX. D. xx. Febr.

Tertio in matrimonio habuit post obitum *Schaffshusæ*, qui acciderat A. MDCCXXXVI. D. xiii. Aug. Honestissimam Matronam *MARIAM BERENBERGIAM*, filiam *Andræ Berenbergii*, Viduam *Nicolai Reimers*, ductam A. MDCCXLIV. D. xxiv. Nov. quæ cum senectutem B. Sluteri consortio & cura prudentissima per xvi. fere annos fovisset, nunc obitum ejus, quem illi beatissimum pectoris oppressio D. xx. Febr. hujus anni MDCCCLX. attulit, octavum & septuagesimum annum agenti, acerbe dolet una cum liberis & nepotibus

Nostris in animis, qui boni cives sumus, infixam manebit grata memoria virtutum & amoris atque officiorum, quibus B. *SLUTERVS* quotquot potuit complexus est & Patriæ fuit emolumento. Bene precabimur beatis manibus, bene genti universæ Sluterianæ, quæ dedit, dat dabitque civitati viros egregios publico bono natos. Gratulamur vero Republicæ cum succedentem huic ordine Primum Syndicum, cujus fecundæ & salutari operæ jam innumera debet Patria, tum Novissimum Syndicum Sluteri decedentis loco creatum, cui eadem multa jam debet, plura debet. Utrique, pariter ut ceteris de numero hoc Quatuorvirorum, & singulis Amplissimi Ordinis membris, de bono communi præclare meritis, merentibus, merituris, ut annos Sluterianos non expleant modo florentes, sed & superent, vehementer optamus.